



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Mente distractus in Choro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

tam longum tempus, quo per voces musicas ea Hora Canonica canitur, internam attentionem adhibere.

Confirmatur ex Bauci in *selectis*, quæst. 37. *Peter*, 17 qui citans Sanchez in *consil. lib. 7. cap. 2. dub. 16*, ait, non obligari servientem Choro recitare illam partem, quam pulsatur organum, quia (inquit) Ecclesia sumit illam partem pulsationis Chori pro Oratione.

Submissæ canens.

15. Quæritur secundò, An si quis partem suam submissa voce; ita ut audiri à Choro non possit, profert; ad partem autem ejusdem Chori ritè attendit, an, inquam, satisfaciat. Dixi (partem suam) nam partem alterius Chori, ut etiam Lectiones, Antiphonas, &c. quæ ab aliis cantari solent, melius esse non recitare, etiam submissa voce, sed ad illam devotè attendere, ne submurmurando aliis detur causa perturbationis, merito notant Doctores Suar. Sanch. Navar. apud Pell. *tract. 1. man. Reg. cap. 8. num. 26*.

Dico hunc præcepto quidem dicendi horas satisfacere, non verò Ecclesiæ servitio, ideo non obligari ad iterum recitandum privatim, sed non posse distributiones accipere. Ita Bon. *diff. 1. de Hof. Can. q. 3. p. 2. §. 1. n. 16*. & 17. Præceptum adimpler, quia ponit, quod debet, quoad præceptum orandi. Servitio non satisfacit, quia munus horum ad Chororum deputatorum non esse solum recitandi quomodocunque Officium, sed publica, atque adeò clara voce. Sanch. Garc. Diana apud Marchinum *more citandum*, videntur contrarium sequi, sed ex March. *tr. 2. de ord. p. 6. c. 13. diff. 7. n. 8*. ij loquuntur de Canonicis, non obligatis nisi ad meram assistentiam, de quibus mox n. 18. Atque hic nota, cum beneficiatus soleat exigere tum fructus à suo beneficio, tum etiam has distributiones ob assistentiam Chori, hunc, de quo loquimur, distributiones solas amittere, non fructus: nam hi dantur propter Officium etiam privatè dictum, illæ propter Chori assistentiam. Quod si quis non habeat alios fructus, nisi distributiones, certè eas amitteret, quia non ponit id propter quod ejusmodi emolumenta ipsi conceduntur. Amittit, inquam, etiam ante sententiam, quia eas Choro non interveniens nunquam facit suas, ut ex vulgatis iuribus constat: Ita Bon. VIII. c. 5. de Clerico non residente in 6. *Trid. sess. 24. cap. 12. de reform.*

16. Petes, huic licetne solum medietatem distributionum recipere, scilicet pro ea parte, quam Chorus cantat ad quam ipse jam ritè attendit? Respondeo, licere putant nonnulli, quia jam ponit partem sui muneris; Ita Suar. alique, quos citat, sequiturque Bonac. *ibid. p. 17*. negant alij melius, quia Pius V. prohibet dari distributiones intereferenti, & non recitanti Officium: ita hic ita submissè orans, licet ad aliam partem attendens, non dicitur absolute recitare in Choro. Ita Castro *P. 2. tr. 17. d. 3. p. 4. n. 5*.

Nihil dicens in Choro.

17. Quæritur tertio, an qui nihil in Choro dicit, attendat verò ad omnia, satisfaciat?

Dico hunc multò minùs satisfacere; ita Castro *ibid.* quia si nullo modo dicitur recitare in Choro, vel orare velociter, quare etiam si privatim domi recitaret, satisfaceret quidem sic præcepto, sed non Ecclesiæ servitio, unde fructus beneficii suos lucrifaceret, non verò distributiones.

18. Excipe illud, quomodo diximus n. 14. *sine*, excipe item eos Canonicos, seu Beneficiatos, quibus vel ex consuetudine, vel ex privilegio conceditur solum interesse Choro, aliis Clericis Chori omnes partes persolvendi; ita Navar. Less. Fill. alique apud Bonac. *quæst. 3. p. 2. §. 1. num. 17*. Castro Pal. *l. c. p. 3*. Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 11. quæst. 10*. iis enim modeste attendentibus, neque confabulantibus non puto sive Pium V. sive Tridentinum Concilium suum æquissimum jus vel privilegium admisisse. An verò ex dictis n. 10. & 11. colligatur his satis esse solum attentionem externam, tu perpende.

Dormitans in Choro.

19. Huc spectat casus sequens. Beneficiarius dum Choro ritè assistet, maxime à somno impertitur, ipse tamen ei, quantum potest resistens, evadere non valet, ita, ut extendat, ad quid obligabitur?

20. Puto primò, eum obligari ad privatam, iteratamque recitationem: Ratio est, quia ipse sic dormiens Officium per actionem humanam, & liberam non persolvit.

21. Puto secundò, hunc lucrari distributiones illius Officii sic imperfectè recitati. Ratio est, quia ad illas acquirendas sufficit assistentia, quantum sine culpa potest quis afferre. Certè omnes docemus distributiones acquiri ab legitime impedito, v. g. ab infirmo, qui Choro non assistat: quod magis legitimum impedimentum, quàm somnus ille pertinax, qui evincit moraliter non possit, quique si actuali infirmitati comparetur, non erit error: Recitare autem postea ad finem acquirendi distributiones, eundem frustra obligatam, siquidem hæc per horas in Choro recitatas acquiruntur, non per recitatas extra Chorum.

Confabulans in Choro.

22. Quæritur quartò, An Canonicus amittat distributiones quotidianas, si non attendat ad ea, quæ recitantur in Choro, sed cum aliis confabuletur, si tamen legitime recitat, quæ sunt à se recitanda? Respondeo, non est improbabile non amittere, quia verè hic suo muneri non deficiat: attendi in Choro, esto peccet contra Religionem, obligeturque quod omisit, recitare privatim.

Recitantes tertiatim.

23. Sacerdotes tres ut laborem Officii temperarent, singuli Versiculum ex Psalmi recitabant; ita fiebat, ut non alternatim, sed tertiatim pensum majore facilitate persolverent; legitime id præstasse sentiendum erit?

Respondeo nequaquam, quia obligantur Sacerdotes recitare Officium more Ecclesiastico; id est, vel totum à singulis, vel ex Choro alternatim, nunquam verò quoad Psalmos tertiatim, & certè si id liceret, liceret etiam quatuor, quinque, plures Sacerdotes suum singulos versiculum recitare, & sic præcepto satisfacere, quod nemo dixit. Huc facit, quod afferam *infra lib. 3. c. 2. §. 6. m. 5*. ex Castro Palao, qui negat votum recitandi Rosarium, posse impleri recitando alternatim; nam licet nos ibidem secuturi sumus oppositum, ubi mos est recitandi sic Rosaria, id tamen probat hanc doctrinam de non recitando officio tertiatim, quia id in Ecclesia receptum more non est.

§. V. De tempore recitandi Officii.

1. Vis ab Ecclesia statutis horis recitandis esse preces Canonicas clarius est, quàm ut quæri oportet: hoc est, jam nunc ex introducta consuetudine timoratorum, sine culpa etiam veniali, Matutinum, & Laudes ab inclinatio præcedenti die usque ad unam circiter horam post ortum Solis diei sequentis; Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, ab aurora usque ad meridiem; Vesperas, & Completorium à meridiem usque ad semihoram circiter post Solis occasum. Nihilominus si intra eundem diem recitentur, licet non in suis horis, non peccari certum sit, nisi venialiter, & aliqua existente causa (certè non necessariò magna) ne venialiter quidem in privata recitatione; nam ceterum Prælati sub mortali tenentur diligentes esse, ut regulariter suis horis cantetur Officium in Cathedralibus, ac Regularibus Ecclesiis, præcipitur enim sub indignatione Dei, & Sedis Apostolicæ Clem. 1. de celebr. *Missæ*. Alij autem inferiores, ad quos non pertinet Chori cura, solum obligantur, quando esset grave scandalum, vel grave detrimentum divini cultus, qui ipsi succurrere possunt. Vide quæ dixi §. 1. n. 7.

2. Solum